

Bibliothèque numérique

medic@

**De Jean, Pierre - candidat / Disdier,
François-Michel - président. - [De uteri
procidentiâ]**

1760.

***Paris : Typis P. AL. Le Prieur,
Collegii & Acad. Reg.***

***Chirurgorum Typographi, viâ
San-Jacobaeâ, sub signo
Olivae.***


Cote : ms 2342, n°71

1760

THESES

ANATOMICO-CHIRURGICÆ.







D. O. M.

THESES

ANATOMICO - CHIRURGICÆ.

I.



ATIONIS excellentiâ potiri, facultate sentiendi pollere, varia Orbis in quo degit miracula contemplari, eorumque Authorem mirari, colere, observare, hæc omnia procul dubio maxima reputantur bona quæ possint homini contingere. Tot & tanta in ipsum contulit lucis participatio. Istam porro lucis usuram quâ gaudet, secundum Omnipotentem, viro acceptam refert ac mulieri. Liquidò igitur constat partes generationi inservientes, primum inter cœteras locum & reposcere & merito jure assequi. Vigeat sanè Anatomia quæ ipsas nobis, summo humanitatis commodo, intuendas exhibet.

A

I I.

QUONIAM verò prolixior foret genitalium utriusque sexûs partium explanatio, muliebres duntaxat attingemus, innumerolque earundem affectus datâ operâ omittentes, de Uteri procidentia seu prolapsu agere aggrediemur.

I I I.

DURA admodum ac difficilis morbi species observanda nobis incumbit; quam ut ex artis normâ tractare valeamus, abs re non erit læsarum partium structuram præmittere. Illas autem hîc loci saltem generatim appellari, videtur exigere thesæos nostræ propositum. Sed brevitati, quantum in nobis est, consulentes, responsionibus magis quàm scriptis materiam evolvere conabimur.

I V.

PLURIMÆ numero sunt mulieris partes quæ nobis existendi facultatem simul & felicitatem impertitæ fuerunt. Vulgò dividuntur in internas & externas. Suum quæque situm peculiarem obtinet, suâ donatur figurâ, suis usibus deputatur, suo tandem indigitatur nomine.

V.

UTERI prolapsus, nostræ concertationis argumentum, est tumor contra naturam inter varias Herniarum species referendus. Hæc autem morbi species vel incompleta est vel completa.

V I.

INCOMPLETA quidem, si extûs non promineat Uteri moles; sed ad usque vulvæ marginem tantum accedat. Completa verò, si de sede naturali dimota moles foris sese præbeat inspicendam.

V I I.

DETERMINATIS suprà Uteri procidentiaë speciebus tertia supervenit quæ nimirum in eo consistit, ut Uteri fundus infrà dilabatur ; quo in casû approximatur fundus ad Uteri orificium, immò & dilatato foramine extûs producitur, tuncque factâ partis inversione, interna Uteri periphæria videtur externa.

V I I I.

PLURIMÆ assignari possunt Uteri prolapsûs causæ, tùm externæ, tùm internæ. Enim verò quidquid Uteri ligamenta aut laxat, aut etiam disrumpit, quidquid ipsum adeò violenter succutit, ut è sitû naturali deturbari queat, id omne inter prædicti affectûs causas non immeritò reponitur.

I X.

DILIGENTER ac sedulò exploranti haud difficilis videbitur Uteri procidentiaë diagnosi. Dixi autem diligenter exploranti, ne, videlicet, pro Polypo uterino extûs apparente, habeatur morbus ille de quo agimus.

X.

QUANTUM ad Prognosim attinet, repetitur ab Uteri prolapsûs differentiis, à causâ producente, à morbi tempore, ab ægrotantis seu pravâ seu laudabili constitutione. Non mediocris utique erit auxilii ad inferendam prognosim accidentium natura.

X I.

PRÆMISSIS autem quæcumque propositum nostrum spectant, longè facilius ac tutius existit curationis methodus, quæ quidem curatio ut obtineri possit, tria omninò requiruntur.

X I I.

PRIMUM nempè partium in situm naturalem repositio ; secundum verò probata in iisdem solidè ac firmiter continendis solertia ;

4

tertium denique efficax tùm adversus præsentia, tùm adversus futura
accidentia remedium.

De chartes Has positiones, DEO JUVANTE, & Præside M. FRANCISCO-
MICHAELE DISDIER, Artium Liberalium & Chirurgiæ
Magistro, tueri conabitur PETRUS DE JEAN, Carnutenfis,
Artium Liberalium Magister.

P A R I S I I S.

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,

Die Sabbati 26^a Januarii à sequisecundâ post meridiem ad septimam
anno R. S. H. 1760.

P R O A C T U P U B L I C O

E T M A G I S T E R I I L A U R E A.

X I I

Typis P. AL. LE PRIEUR, Collegii & Acad. Reg. Chirurg. Typographi,
viâ San-Jacobæ, sub signo Olivæ. 1760.